

Aeneid 2 526-546

ecce autem elāpsus Pyrrhī dē caede Polītēs,
ūnus nātōrum Priamī, per tēla, per hostēs
porticibus longīs fugit et vacua ātria lūstrat
saucius. illum ardēns īnfesto vulnere Pyrrhus
īnsequitur, iam iamque manū tenet et premit hastā. 530
ut tandem ante oculōs ēvāsit et ōra parentum,
concidit ac multō vītā cum sanguine fūdit.
hīc Priamus, quamquam in mediā iam morte tenētur,
nōn tamen abstinuit nec vōcī īraeque pepercit:
‘at tibi prō scelere,’ exclāmat, ‘prō tālibus ausīs 535
dī, si qua est caelō pietās quae tālia cūret,
persolvant grātēs dīgnās et praemia reddant
dēbita, quī nātī cōram mē cernere lētum
fēcistī et patriōs foedāstī fūnere vultūs.
at nōn ille, satum quō tē mentīris, Achillēs 540
tālis in hoste fuit Priamō; sed iūra fidemque
supplicis ērubuit corpusque exsanguē sepulcrō
reddidit Hectoreum mēque in mea rēgna remīsit.’
sīc fātus senior tēlumque imbelle sine ictū
coniēcit, raucō quod prōtinus aere repulsum, 545
et summō clipeī nēquīquam umbōne pependit.